



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

48. An qui narrat consilia, v. g. Regis Catholici nostri alicui Turcarum
proditori, incidat in censuram Bullae Coenae? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1.
res. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

6. At, quid dicendum, si aliquis revelet secretum Christianæ Reipublicæ alicui fidei, qui creditur revelaturus infidelibus: an, inquam, iste talis incurrat in censuram Bullæ? Affirmat Bonac. *tom. 3. disput. 1. q. 8. punct. 1. n. 4.* & alij penes ipsum. At negativæ sententiæ adhaeret Suar. & Palaus, *ubi sup.* quia in clausula Bullæ solum puniuntur revelantes per se, vel per alios, statum Christianæ Reip. infidelibus. At fidelibus revelans nequaquam dici potest infidelibus per se, vel per alios revelare, cum ipsi fideles revelantes nomine proprio revelent, non autem nomine prioris revelantis, qui nunquam ipsis revelationem demandavit.

7. Quæro secundo: Vtrum vendentes arma infidelibus, in terris tamen Christianorum, incidant in censuram Bullæ? Negativa pars suadetur quia, cum censura hæc sit poenalis, non debent verba illius extendi, sed interpretanda sunt juxta propriam significationem. Quia igitur vendere non est deferre, & Summus Pontifex de deferentibus loquitur, ad vendentes extendenda non erit censura. Et ita tenet Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 2. §. 7.* Tolet. Navarr. & alij, quos citat. Cast. Pal. *loc. cit. n. 11.* qui tamen postea cum Hugol. Duaro, & Bonac. contrariam sententiam tenet: quia Bulla non requirit, ut arma transferantur ad terras infidelium, cum translationem ad infideles nullo superaddito prohibuerit: at ea translatio ad infideles est facta. Neque obest, quod ipsi ibidem non possint Christianos oppugnare: satis enim est, quod possint in terras infidelium transferri. Præterquam quod solum per accidens ab impugnatione Christianorum ibidem impediuntur, scilicet, ob protectionem, & potentiam Christiani Principis; per se autem, & ex concessione armorum illis facta optime possunt ibidem oppugnare Christianos. Nulla ergo causa est, ob quam hac censura ea venditio non afficiatur.

8. Itaque ego fateor quidem, non manere excommunicatos vendentes prohibita, ex vi particular, *Deferentes*: nihilominus, quatenus vendendo favorem præstant infidelibus contra Christianos, non est, quare ab hac censura excusentur: & idem est, si illis vendant, quos certo sciunt ea ad infideles esse missuros, sive ipsi infideles ad Christianorum civitates veniant, sive in ipsis pacifice vivant, nisi forte eos parvitas materiæ excuset, ut si hastam unam, vel equum vendant. Quod idem dicendum erit de commutantibus arma pro armis, ut enses pro hastis, sicut docet Sayr. *lib. 3. de cens. cap. 1. n. 27.* quidquid in contrarium dicat Sylv. *verb. Excommunicatio. 7. num. 64.* qui tenet, ob has commutationes censuram hujus Canonis incurere. Cujus sententia erit vera, si commutatio talis fuerit, ut infideles notabiliter melius Christianos impugnent; alias res est parvi momenti, propter quam censura non fertur.

9. Et tandem pro coronide hujus Resolutionis videtur excusari ab hac censura deferens prohibita, quando aliter captivi redimi non possunt: quam sententiam sequitur Hugol. *vers. Orlavò.* Quod Sylvester intelligit, quando hoc fit tempore pacis, non verò si fiat tempore belli. Quæ tamen sententia non placet Tolet. *in sum. lib. 1. cap. 24.* sed existimat, deferentes in hoc casu manere excommunicatos, tam in terminis hujus Bullæ, quam in terminis juris antiqui. Prior sententia est magis pia, & idcirco in eam inclinandum existimo, dummodò gravius detrimentum ex prædictorum delatione Christianæ Reip. non sequatur, quam sit ex captivorum redemptione utilitas: hoc enim de benignitate Pontificis præsumendum est. Et hæc omnia docet Soufa *loc. cit. disp. 5. n. 6.*

RESOL. XLVI.

An licitum sit deferre arma infidelibus, si pecunia re-

portata sit. *Christiane utilior?* Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Refol. 15.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Regin. *tom. 1. lib. 9. sup. cap. 13. n. 301.* putat enim probabile non incidere in censuram Bullæ Cœnæ, qui arma deferunt infidelibus majori cum utilitate Christianæ Reip. quam damno, ut si pecunia reportata pro armis sit & Christianis utilior, quam arma sunt noxia.

2. Verum Hurtad. de Mendoza *in 2. 2. disp. 76. sect. 3.* negativæ sententiæ adhaeret. Putat enim negativam sententiam viam sternere ad perpetuam abolitionem hujus legis, censent enim singuli mercaturam suam utiliore esse Christianis, nec esset ulla mercatoris compescendi ratio, essetque fidelibus scandalo. Quapropter si qua Respublica id de suis mercatoribus censeret, consulere teneretur Summus Pontifex, ut veritate sincerè perspecta provideret tunc, & cessaret scandalum, nec deesset ratio compescendi violatores. Nec enim cuivis fas est tam publica & diuturna uti Epixeia, quando tam facile potest legislatori adiri, quod factum esse à Genuensibus, & Venetis credendum est. Respublicæ enim tam Catholicæ & Romanæ Sedi obedientes non erant effecturæ, ut malo exemplo suspicionem parent contumacia.

RESOL. XLVII.

An deferre arma hæreticis, & instrumenta bellica sit prohibitum ex Bulla Cœnæ? Et quid, si hæretici sint publicè denunciati? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Refol. 14.

§. 1. **P**etrus Lorca *in 2. 2. disp. 5. n. 7.* affirmativam sententiam docet, putat enim appellatione hostium nominis Christiani, includi etiam hæreticos, quia omnes illi sunt absolute infideles, & inimici Christiani nominis.

2. Sed mihi magis placet contraria sententia, quam tuetur Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. disp. 76. sect. 3. §. 83.* quia hæretici nomen Christi non odierunt, sed amant: quamvis enim doctrinam Christianam ex parte depravent, Christiano tamen nomine gloriantur. Turcæ autem ipsi nomini Christiano sunt infensi. Vide, & hæretici commune nobilium bellum Turcis indicunt, ut hostibus nominis, quod ipsi hæretici colunt, Moveor secundo, quia Bulla in Cœna Domini nihil juvat infideles, in quorum odium exardent antiqua jura, sed eis faveret, si per hostes Christianorum intelligerentur hæretici. Ergo. Probo minorem, quia ex jure antiquo nulli publico hosti nominis Christiani possunt arma deferre, quamvis non sit publicè denunciatus hostis à Romana Sede, ut nunc non possunt. At ex Bulla Cœnæ solis hæreticis publicè denunciatis à Romana Sede interduntur arma. Ergo, Bulla favisset infidelibus. Cum ergo Bulla aliquid novum præcepit contra hanc infidelium speciem, illud fuit in ejus odium, & non in favorem. Signum ergo est eos nunc de novo comprehendere.

RESOL. XLVIII.

An qui narrat consilia, v. g. Regis Catholici nostri alicui Turcarum proditori, incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 13.

§. 1. **N**egativè respondet Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 21. sect. 2. n. 58.* quia id non exprimitur in

in Bulla. Cum enim *ibi* Pontifex dixisset, Necnon alios, qui Turcas de rebus concernentibus statum, certiores faciant; adjicit: Illique ad id consilium, aut auxilium præstant: sed pronomen *illo*, non refert certiores facientes, sed Turcas ipsos; id est, illique Turcis ad id favorem dederint.

2. Verum his non obstantibus affirmativam sententiam docet Hurtadus de Mendoza in 2.2. disp. 76. sect. 3. §. 68. quia pronomen, *illo*, refert utroque, nempe & Turcas, & omnes, qui arma ferunt, certioresque faciunt hostes; cum enim ea lege velint Pontifices hostibus arma eripere, omnemque rationem impetendi Christianos, eorum animus est negari omne auxilium, consilium, & favorem. Turcis negatur favor, ne possint juvari, fidelibus ne juvare; cum enim utrumque sit apprimè utile ad Pontificis institutum, & verba possint in utrumque quadrare propitissimum, cur non fiet, maxime cum nomen *ad id*, hoc sonet aperte; refert enim damnum. In damnum, inquit, Catholica Religionis certiores faciunt, illique ad id consilium præstant. Ac si dicat, præstant auxilium ad id damnum, non solum ad explorationem consiliorum, sed ad damnum. Deinde si ly *illisque*, refert Turcas, adhuc Consiliarius comprehenditur. Proditio enim consilij Regij favor est in Turcam, quem ipse emeret cardo. Et hæc omnia docet Hurtadus *ibi* *supra*. Vide puto utrumque sententiam probabilem esse.

RESOL. XLIX.

Cum in Regno sit magna penuria carnis, & in perniciem refectamentaria in dies plura animalia macilentur, dubitatur, an sine metu excommunicationis liceat emere à Turcis supradicta animalia, & cum illis alia victualia permutare?

1. An commercium cum infidelibus non intelligatur tempore necessitatis?

Et adducuntur multi Doctores pro explanatione, quando jure postremo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre. Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Refol. 34. alias 36.

§. 1. Respondendum videtur negativè, ex auctoritate cap. quod olim, de Indis, & Clementis Papæ V. in Extravag. *Multa mentis* eod. tit. ubi ex renovat. Extravag. Nicolai Papæ IV. incip. *Olim*. Et hanc sententiam videntur docere doctissimi Iurisperiti Alexander vol. 7. conf. 130. Boetius decis. 178. & Straccia tract. de mercatura p. 2. a n. 40. usque ad n. 51. ad illos, & non pigebit.

2. Sed mihi supposita veritate facti, (quod an ita sit videant illi ad quos spectat,) contraria sententia probatur, nam puto licitum esse deferre infidelibus etiam res prohibitas, quando deferuntur in Christianorum utilitatem, ut si commutentur, vel vendantur pro iis, quibus indigent magis Christiani, ita ut major sit eorum commoditas, quam damnum inde proveniens. Ita ex Societate Jesu Valer. Reginald. in praxi, tom. 1. lib. 9. cap. 18. n. 301. & ex Dominica familia Ant. de Souza in exposit. Bulla Cana, c. 8. disp. 5. n. 2. & Alterius de censuris, tom. 1. disp. 8. lib. 5. cap. 4. §. ut probetur.

3. Adde quod commercium prohibitum cum infidelibus non intelligitur tempore necessitatis, ut in casu simili, & aliis notavit novissimè Coninch de actibus superni. lib. 1. disp. 18. n. 1. 8. cum Suarez tractat. de fide, disp. 18. sect. 6. n. 8. Ratio est, quia, ut notavit Filliuc. in quest. moral. tom. 1. tract. 16. cap. 6. n. 147. & Sayrus de censuris, libr. 3. cap. 12. n. 34. præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore, & ne-

cessitas in hac materia accipitur moraliter, ut etiam in casu simili notavit Anton. Ricciol. in tract. de pure person. lib. 2. cap. 41. n. 19. & Tabiena verb. medicus, man. 17. verb. Indis, n. 6. Talem verò necessitatem extare in casu nostro multi asserunt. Ergo licitum erit tale commercium; & permutationes rerum.

4. Nec obstant ea, quæ in contrarium adduximus, nam illi Doctores, ad c. quod olim, non loquuntur in casu nostro, videlicet necessitatis, seu quando victualia deferuntur propter majorem utilitatem, quam nos Christiani præcipimus.

5. Ad Extravag. Nicolai & Clementis respondet cum Sylvestro verb. excommunicatio, 7. n. 60. & Petro de Lorca in 2. 2. D. Thoma disp. 51. n. 7. ibi: Pontifices prohibere deferre victualia, & alia mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ Egypti, non autem prohibere supradicta deferre ad alios Sarracenos: & si hoc prohiberent, respondendum est, ut *supra* ad cap. quod olim, de Indis, non loqui videlicet in casu nostro.

6. Sed vide, si liber, circa præsentem questionem Conradum de contract. tract. 3. §. 5. 1. concl. 1. Gambartum tract. de casibus reserv. cap. 7. Bonacinum de legibus disp. 3. q. 2. punct. 5. n. 2. Molfes. in sum. tom. 1. tract. 11. cap. 2. n. 23. Sayrum de censuris, lib. 3. cap. 11. Alterium etiam de censuris, tom. 1. disput. 8. lib. 5. cap. 1. & seq. Suar. in 3. p. D. Thom. tom. 5. disp. 21. sect. 2. Navar. in cap. ita quorundam, de Indis. Filliuc. tom. 1. tract. 16. c. 6. n. 139. Azorium p. 1. lib. 8. cap. 23. Duardum in Bull. Can. lib. 2. can. 7. q. 1. & 2. Tabienam verb. excomm. n. 5. & 6. Naldum in sum. verb. Infidelis, n. 2. qui falsissimè tractant, quando jure positivo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre.

RESOL. L.

An pœna contra duellantes ipso facto incurranter?

Ex quo deducitur, an publicus percussor Clerici sit vitandus ante sententiam iudicis declarationem? Ex part. 11. tract. 8. & Misc. 8. Ref. 21.

§. 1. Causa est frequentissima, & ad illum negativè responder Petrus Navarra de resi. leg. 2. cap. 3. num. 292. specialiter, & novissimè Concilium Tridentinum in dict. cap. 19. §. 25. de reformatione sub gravibus poenis ulum duellorum reprobatur. Primum ipso facto excommunicatos esse decernit Dominos temporales; qui locum ad monomachiam, sive duellum in terris suis inter Christianos concesserint. Secundò privati sunt dominio Civitatis, vel loci apud quem duellum sit permissum, si ab Ecclesia obtinuerint, vel si feudo habeatur, eo privati ipso facto, domino directo acquiratur. Tertio ipsi pugnantes, & eorum patris excommunicationem incurrant, & bonorum præscriptionem, ac perpetuam infamiam poenam; & ut homicidæ puniri debeant, si qui in ipso conflictu decesserint, careant Ecclesiastica sepultura. Quarto illos, qui in causa duelli consilium dederint, aut spectaculo interfuerint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri. Non tamen credimus poenas tertij, & quarti ordinis ipso facto incurri, *ni ex text. ipsius oratione colligitur*. Ita Navarra.

2. Sed prorsus ejus sententiam rejiciendam esse, & affirmativam omnino tenendam existimo. Vnde rectè nominatim contra Navarram insurgit Doctor Sorbonicus Andreas Duvalius in secunda secunda Divi Thomæ, tractat. de Charitate, quest. 17. artic. 1. in fine, ubi loquens de poenis contra duellantes sic asserit: An autem ipso facto hæc pœna

ab